



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

110 Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

no Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erraui.

RVRSVS constantia in mandatis exprimitur, & inter oppugnationes hostiū, & inter insidias. Sed compatiendum valde nobis ipsis Domine, quibus hostes inuisibiles, tanquam feris laqueum parant, occulte tendunt retia, vt capiant nos, & pedibus implicatis prædam deuorent. Sed quo recurrendum, vt euadamus? Non alio sanè, quam ad mandata tua. A quibus si non aberrauerimus, in illorum manus non incidemus. Callidi sunt hostes, vigilant semper, & non dormiunt, vt sagittent in obscuro miseros, quos persequuntur. Quis eorum insidias euadat? nisi humilitas, & oratio? Oculi mei semper ad te, quoniam ipse euelles de laqueo pedes meos. Da mihi Domine pennas amoris tui, casti timoris, sancti desiderij, & frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Assumam columbæ deargentatæ pennas, & volabo, & requiescam. Si sublimis in altum euectus, suspensusque à fallaci seculo, pedem in terra non fixero, laqueos effigero. Ecce oculi mei in manibus tuis o piissime : ne expectare facias illos ne deficiant. Defecerunt quippe oculi mei in eloquium tuum, dicentes. Quando con-

sola-

*Necessitas
opis
diuinæ.*

Psal. 10.

Psal. 24.

Prout. 1.

Psal. 67.

solaberis me? Deus in adiutorium meum *psal. 118.*
 intende, alioqui capior. Domine ad adiu- *psal. 69.*
 uandum me festina; festina & noli tardare.
 Nam si tardaueris, pereo. Veloces sunt ini-
 mici, sanguinem sitiunt, proximi semper.
 Ego imbecillis ultra quam intelligere va-
 leo. Itaque festinatione opus est.

In Hereditate acquisiui testimonia tua
 in æternū: quia exultatio cordis
 mei sunt.

TAM ipsa testimonia tua, ipsa mandata, Quā præ-
 legem voluntatis tuæ non ita percepi, clara he-
 quali transeunter, & furtiuè susceperim: sed *reditas*
 iure perpetuo, tanquam propriam heredi- *Dei lex.*
 tatem possedi, idque in æternum. Non
 enim morte relinquitur hæc hereditas, *psal. 26.*
 imò cum dederis dilectis tuis somnum, tūc
 ecce hereditas tua. Ergo vt diuitias meas,
 patrimonium meum, firmamentū meum
 illa acquisiui, & possedi. Beata hereditas,
 quæ nec à vicinis violentis eripi, nec va-
 stari ab hostibus, nec tempestatum iniu-
 rijs lædi, nec morte auferri potest. Præcla-
 ra hereditas, qua fit, vt ipse sis hereditas
 mea, possessio mea. Planè funes ceciderunt *psal. 15.*
 mihi in præclaris. Nam & ego possessio tua
 per ea sum, beatus tali possessore meo: &
 ipse possessio mea æterna mihi es, beato
 possessione mea tanta. Hanc mihi hæredi-
 tatem